

ponendo, aut discurrendo, quia compositio, et discursus non consistit in quocumque usu plurium specierum, sed in usu comparativo, et collativo, quando scilicet convenientia prædicati, et subjecti non apparet in simplici inspectione unius vel plurium specierum, sed in comparatione unius ad alterum; nam etiam Angelus potest uti pluribus speciebus inadæquate se habentibus ad aliquam cognitionem sine compositione, et simplex apprehensio nostra videt hominem album per speciem albedinis, et hominis antequam comparet convenientiam unius ad alium.

XIX. Ad ultimum respondetur, quod ad prudentiam regiminis humani non pertinet videre omnia individua in universo, sed solum in singulari, et ut agibilia ab homine: ad prudentiam autem, et regimen totius universi tam hominum, quam Angelorum pertinent omnia individua totius universi, quia circa omnia potest homo, vel Angelus aliquo modo operari, vel cognoscere, vel imaginari: Christo autem data est omnis potestas in cœlo, et in terra, et omnia objecta sunt pedibus ejus tam quoad homines, quam quoad Angelos.

## DISPUTATIO XIV.

DE MODO ET MEDIO COGNITIONIS SCIENTIÆ INFUSÆ.

## ARTICULUS I.

*Utrum hac scientia potuerit Christus Dominus uti cum discursu, et sine discursu, conversione ad phantasmata, et sine illa?*

I. Perspicua est S. Thomæ sententia in hac parte, in hoc articulo secundo, solutione ad tertium, et articulo III et IV, quod scientia infusa in sui acquisitione nullo modo est dependens a phantasmatis, neque acquisita per discursum. Similiter in suo usu, neque a phantasmate dependet, neque a discursu; potest tamen utroque uti si voluerit, accommodando, et proportionando se subjecto in quo est. Cæterum pater Vazquez hic disp. LII, capite II, licet conveniat cum D. Thoma in primo puncto, scilicet quod scientia infusa non sit dependens a phantasmate, carpit tamen rationem D. Thomæ, neque eam probat, solum quia anima Christi non erat in statu puri viatoris, sed habebat etiam statum comprehensoris, qui totaliter dominabatur corpori, et sic erat deobligatus ad utendum phantasmate. Qua ratione, inquit Vazquez, probatur animam Christi in aliquo genere cognitionis non eguisse phantasmate, nisi id probetur peculiariter, scilicet visione clara Dei, non tamen probatur, quod tali genere cognitionis, quæ scilicet habetur per scientiam infusam, non indiguerit phantasmate, nisi id probetur ex propria, et essentiali ra-

tione talis scientiæ, quia scilicet erat scientia independens a sensibus, nec ullo modo comparabilis per ipsos, nec affinitatem habens cum speciebus sensibilibus, unde nullo modo indigebat conversione ad phantasmata, quia nullo modo ex illis cognitionem accipiebat.

II. In secundo etiam puncto, quod uti potuerit hac scientia convertendo se ad phantasmata, si vellet, dissentit Vazquez a D. Thoma, eo quod cognitio per conversionem ad phantasmata non consistit in eo solum, quod quando aliquis intelligit, concomitanter utatur phantasmate: sic enim posset etiam dici, quod visio beatifica fit per conversionem ad phantasmata, quia potest aliquis simul tempore cum videt Deum, formare aliquod phantasma de his, quæ in Deo videt; non ergo sufficit quasi concomitanter habere illam duplicem cognitionem intellectus, et phantasiæ, sed requiritur aliqua dependentia, et coordinatio unius ad aliud. Cum autem scientia infusa omnino sit independens a speciebus, nec habeat cum eis aliquam coordinationem, et affinitatem, nullo modo potest uti conversione ad phantasmata, præsertim in cognitione substantiarum separatarum, et rerum spiritualium.

III. Quod attinet ad discursum, similiter sentit Vazquez contra D. Thomam, in loco citato, capite III, eique adhæret pater Suarez hic disput. XXVIII, sectione secunda. Et fundamentum est, quod Christus Dominus cognoscit per hanc scientiam infusam, sicut Angeli, qui unica specie, et unico conceptu simul plura attingunt, et ideo non discurrunt: deinde etiamsi hæc scientia infusa de unaquaque re formet suum conceptum, sicut nos per scientiam acquisitam, adhuc tamen non discurret, quia quilibet conceptus est æque evidens, et quid-

ditativus de objecto, quod concipit; ergo unum non potest esse ratio cognoscendi aliud: et consequenter tales conceptus non deserviunt ad discursum in quo requiritur, quod unum notificetur per aliud ex quo infertur.

IV. Denique instat Suarez: Quia proprius modus cognoscendi per hanc scientiam est per simplicem intuitum, si quidem ex natura sua non est scientia collativa, nec per discursum acquisibilis; ergo nunquam poterit intellectus uti isto habitu ad cognoscendum discursive; esset enim uti habitu ad suum modum oppositum connaturalem: sicut nunquam potest intellectus uti habitu principiorum. Nec sufficit ad discursum uti aliqua specie inadæquate, et quantum ad aliquam veritatem, et illa procedere ad aliam veritatem pertinentem etiam ad talem speciem; hoc enim solum est cognoscere unam veritatem post aliam, non illative unam ex alia; sic autem etiam Angelus cognoscit unum post alium, nec tamen discurret: ergo solum non sufficit ad discursum.

V. Neque etiam potest se accommodare modo operandi ipsius subjecti, sicut utitur phantasmate hæc scientia propter accommodationem, quam habet ad subjectum, quia usus phantasmatis non ponit integram imperfectionem in scientia, sed solum concomitantiam operationis inferioris potentiæ; discursus autem integram imperfectionem importat in ipso actu scientiæ; supponit enim discursus, quod una cognitio non plene attingit omnes veritates in suo objecto contentas, et illi connexas, et ideo indiget ad explanandum, et inferendum illas alia cognitione.

VI. Nihilominus sententia D. Thomæ, in utroque dicto vera est, et de illa videri potest magister Lorca hic

disput. II, membro II, et Cabrera super articulum secundum hujus quæstionis, disputatione secunda, et communiter Thomistæ. Et quidem quod attinet ad rationem S. Thomæ, qua probat non indigere hanc scientiam conversione ad phantasmata, miror non advertisse patrem Vazquez, quam clare, et breviter difficultatem, quam ipse objicit, evacuaverit Cajetanus in præsentis articulo. Etenim D. Thomas brevitati, et formalitati studens non curavit nisi tantum attingere punctum difficultatis. Non erat autem aliqua difficultas in hoc, quod scientia infusa ex genere infusionis non sit dependens a phantasmate, cum ex ipsis terminis sit per se notum, quod si scientia ista est infusa, non est acquisita per phantasmata, et sensus, sed supra illos elevata: et si est infusa per se, per se est independens a sensibus quantum est ex genere suo, in quo tamen probando consumit tempus Vazquez; unde in hoc difficultatem non sensit D. Thomas. Sed si aliqua difficultas posset esse in hac parte, erat ratione subjecti; licet enim scientia infusa ex ipso genere scientiæ elevata sit, et exempta ab omni dependentia a phantasmate, tamen quia subjectum ipsum, scilicet intellectus, in hac vita est adstrictus, et vinculatus ad phantasmata, ex hac parte poterat esse difficultas, an scientia infusa induat modum ipsum subjecti, si quidem unumquodque recipitur ad modum recipientis. Et ideo S. Thomas, solum fuit sollicitus ostendere quomodo ex parte subjecti, scilicet intellectus, licet sit unitus corpori, non sequatur, quod de necessitate sit adstrictus phantasmati, quia licet hoc habeat intellectus unitus in statu viatoris, tamen intellectus unitus in statu comprehensoris non est obligatus ad utendum phantasmate, quare ratione illius status, quem

habet intellectus in anima Christi, quia non erat solum viator, sed etiam comprehensor, optime probavit D. Thomas scientiam infusam ex parte subjecti in quo est, non necessitari ad utendum phantasmate. Ex ipso autem connaturali modo, quem habet scientia infusa ex suo genere, per se notum erat non esse adstrictam ad utendum phantasmate, et sic ex omni parte manebat probatum scientiam infusam non necessitari, nec dependere a phantasmate; sed D. Thomas solum adhibuit probationem ex ea parte, qua poterat esse aliqua difficultas, scilicet ex parte subjecti. Vazquez autem adhibuit probationem ex ea parte, qua non est difficultas, sed per se notum ex terminis, scilicet, quod scientia infusa ex suo genere non dependet a phantasmata.

VII. Circa secundum punctum, scilicet, quod poterat intelligere per hanc scientiam convertendo se ad phantasmata si vellet, in primis hoc non oportet intelligere respectu omnium objectorum hujus scientiæ infusæ, quomocumque cognoscantur; non enim substantiæ separatae, et res spirituales cognosci possunt proprio, et quidditativo conceptu per conversionem ad phantasmata; nam hoc ipso quod intelligerentur cum conversione ad phantasmata, intelligerentur res illæ spirituales conceptu connotativo, scilicet importante ordinem ad res sensibiles, de quibus formantur phantasmata. Solum ergo loquimur de his rebus, quæ possunt cognosci proprie, et quidditative stante ordine ad phantasmata, et ad res sensibiles, quia res ipsæ cognitæ sensibiles sunt, et ita stante quidditativo et proprio conceptu talis rei potest fieri conversio ad phantasmata. Et dicimus, quod salvari potest in hac scientia talis conversio ad phan-

tasmata, quatenus formantur ex ipso imperio scientiæ infusæ, et ut illi ministrantia ad usum suæ cognitionis, licet non tamquam principia, unde desumat species representativas objectorum, sed tamquam terminus formatus ex imperio intellectus, ut in illo speculetur objectum, quod alias sine illo cognoscere etiam potest, eo modo quo D. Thomas dixit supra quæstione VII, articulo VIII ad primum, quod: « Licet Christus habuerit plenam, et perfectam notitiam, quantum ad partem intellectivam, habuit tamen in parte imaginativa quasdam similitudines in quibus etiam poterat speculari divina, in quantum non solum erat comprehensor, sed etiam viator. » Ita D. Thomas.

VIII. Eodem ergo modo potest ex imperio, et dominio intellectus supra phantasmata formari phantasma aliquod de eodem objecto, de quo habet speciem per se infusam, et uti illa specie non ut absolute representat suum objectum, sed ut representat illud cum aliqua comparatione, et connotatione ad illud phantasma, ita quod etiam phantasma speculetur, quatenus comparabile cum objecto illo sic representato per speciem, et ex ejus ordinatione, et imperio formatum; sic enim habet aliquam coordinationem, et comparationem cum phantasmate, non coordinationem dependentiæ ut a principio a quo desumat species, sed ministratiōnis, et inferioritatis, quatenus illi deservit phantasma, ut terminus in ordine ad quem possit comparare objectum representatum per species, et non solum absolute illum cognoscere.

IX. Quod vero hoc sufficiat ad conversionem ad phantasma probatur, nam hoc sufficit, ut dicatur intellectus speculari phantasmata; ergo sufficit ut dicatur converti ad

phantasmata. Consequentia patet, quia conversio ad phantasmata non fit quando primo per actionem intellectus agentis educuntur species a phantasmatibus, sed quando ipsa cognitio, et speculatio intellectus possibilis tendit in suum objectum speculando illud cum proportione, et ordine ad phantasmata. Antecedens autem probatur, nam tunc intellectus intelligit compositionem objecti per speciem infusam representati in phantasmate, et videt proportionem, quam habet cum illo, et connotationem ad tale phantasma; ergo speculatur illud dum intelligit objectum non absolute, ut representatur per speciem infusam solum, sed cum comparatione, et coordinatione ad phantasma formatum ex imperio talis scientiæ, non ex necessitate. Non tamen eodem modo uti poterit phantasmate ad cognoscendum Angelum quidditative, vel Deum clare visum, quia respectu istorum objectorum cognitio quidditativa, et clara non compatitur conversionem ad phantasmata, quæ illam obscurant, cum in tantum res spirituales cognoscantur quidditative, in quantum cognoscuntur extra omne sensibile.

X. Quod attinet ad discursum, eodem modo philosophandum est, scilicet non solum quantum ad acquisitionem hujus scientiæ non fuisse acquisitam per discursum, sed per infusionem habitam, sed etiam quantum ad usum talis scientiæ, non necessitari Christum ad utendum discursu; potuisse tamen illo uti. Prima pars probatur, quia illæ species infusæ perfecte representabant objecta cum suis prædicatis; ergo poterat formare iudicium de illis per immediatam representationem, et non solum per discursum. Item, quia per illam scientiam poterat illuminare Angelos, si quidem erat scientia major scientia Angelo-